les vero anguli, P O Q. & H O F. quia ad verticem. Quare triangula hæc per 6. sexti, sunt æquiangula, & P Q. F H. ὁμόλογα. Ita & omnia alia latera vnius, omnibus alterius. Tota igitur figura F G H. toti Q N P. similis est, per defin. 1 sexti. Amplius connectantur I. & E. centra cum F. & Q. vel quibuslibet extremitatum oppositarum punctis. Erunt igitur etiã I F. & E Q. æquidistantes per 16. vndecimi. Et quia I E. & Q F. se secant in O. æquales erunt anguli I O F. E O Q. per 15. primi. Aequales vero & F I O. Q E O. recti namque ex supposito, quare & residui I F E. E Q F. per 32. primi. Quare latera proportionalia, & vt O I. distantia parietis ad I F. lineam in superficie illustrata, aut quamcunque aliam, sic O E. distantia lucentis ad E Q. consimilem lineam. Quod erat demonstrandum.

COROLLARIVM.

Sequitur hinc per singula fenestræ alicuius puncta, quorum infinita sunt, singulas, adeoque infinitas transmitti in superficiem illustratam imagines lucentis inuersas, eodem ordine se mutuo consequentes, quem tenent ipsa puncta fenestræ.

PROPOSITIO IV.

Omnis illustrationis in pariete quantitas maior est spatio fenestræ, per quam lumen intromittitur.



Siue enim vnicum punctum fingamus lucere, radii per terminos fenestræ transmissi, cum in origine sua concurrant, tantò longius ergo digrediuntur, quò longius progrediũtur, & sic in pariete remotiore plus occupant, quàm in fenestra propinquiore, per primam huius. Siue superficies sit, quę lucet, vt semper est, iam multò magis obtinebitur ꝓpositum.

Sit P N Q. superficies lucens, cuius E. centrum, & sit F G H O. fenestra. Primum itaq; per corollarium